VIR SUMME REVERENDE,
AMPLISSIME, CLARISSIME,
FAUTOR ET PRAECEPTOR AETATEM
COLENDE.

Fortaſsis epiſtola, VIR SUMME REVERENDE, non loco reddita, hominis praeſertim intempeſtive adeuntis TE offendit; verum tamen, cum in ſumā occupatione TUA pro mea ſalute acerrime propugnaſti; id ipſum, quoties cogito (cogito autem quotidie) omnem offenſionis metum abſterſit. Peto igitur a TE, VIR SUMME REVERENDE, ne me putes oblivione magnorum TUORUM erga me meritorum rarius ſcribere, ſed quod indicaverim, tales viros et tot negotiis implicatos non poſſe non perquam moleſte ferre litterarum frequentiam. Ad TE, VIR SUMME REVERENDE, praeſentis conſilii rationem omnem tanquam ad auctorem et principem refero, qui, ut mei abſentis aliqua ratio habeatur, aut certe nominis mei memoria propagetur, me ac mores meos TIBI per litteras interdum purgatos ac probatos eſſe voluiſti. Cum quibus amantiſsimis TUIS monitis iucundas mihi ſimul dediſti recordationes conſcientiae meae. Multum profecto abeſt, ut de ampliſsimis TUIS erga me ſtudiis

ac beneficiis tantam gratiam referre possim, quantam
debeo, cum a TE tot præclara ornamenta doctrinæ
virtutisque in me profecta sunt, cum tristissimis
meis temporibus præsidio fuisti, cum commendatione
TVA contra falsos rumores venisti. Quanta cum
maxima sunt, prædicationem et gloriam longe su-
perant atque excedunt, meam inprimis, cui ad re-
munerandum nihil suppetit præter voluntatem.
Siquidem fama amplissimi nominis TVI iam non
maris littoribus terminatur, sed in ultimos sep-
temtriones penetravit. Cuius rei testis accedit
Fennia, quæ scriptis TVIS nuper illustrata est.
Poenituit Aboënses vanæ et sterilis cathedræ,
qui febriculosæ antiquitatis monumentis loco motis,
TE hoc tempore moralis Theologiæ doctorem se-
quuntur. Sit arbitrium penes cives meos, quam
incorrupte nuper de TE iudicaverit Venerabilis
Juslenius, Borgoënsium episcopus, cum Germaniæ
nostræ gratulaturus dixit, alterum TE illi fore
Buddeum et Mosheimium. Sed stilum vertere
iubet oris TVI verecundia; quapropter nihil addam,

præter id, tanta iam liberalitate me TVA vſum
fuiſſe, vt a TE plus mihi tributum intelligam,
quam ego audeam TE rogare. Audeo nihilo-
minus tamen, atq; ſummo opere efflagito, vt
beneuolentiam TVAM, VIR SVMME REVERENDE,
quæ ſummis a me officiis colitur, ſed longis
interuallis temporum locorumq; interruptam
conſuetudinem habuit, his meis literis patiaris
vehementius confirmari. Qua re magnum ad
TVA priſtina erga me ſtudia cumulum acceſſiſſe arbitrabor.
TE igitur Deus, vt ciuitati ſuæ incolumem diu
præſtet, et feliciſſimum cum TVIS eſſe propitio
Numine iubeat, ſummis precibus contendam.

VIR SVMME REVERENDE,

NOMINIS TVI SVMME REVERENDI,
AMPLISSIMI, CLARISSIMIQVE

Fridrichshafniæ
d. VI Idus Martias
priſci calculi
CIƆIƆCCXXXVII.

cultor perpetuus

Johannes Godofredus Arndt.

A Monſieur
Monſieur Baumgarten
Profeſſeur en Theologie

à
Halle
en
Saxe

p couvert

1742